Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8277
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

cia de tribus peticionibus quas beatus Gregorius addidit in canone
Et de tercia parte que postulatur in missa. De quinque signis
que fiunt super oblatam et talem. Ubi agitur de xpi vendicione
de persona venditoris et venditi et ementium. Exponitur etiam
multipliciter prima clausula. Quam oblationem tu deus digneris facere
benedictam ascriptam ratam racionabilem et acceptabilem.

Post declamatum De silencio post prefacionem parte 3a
preconium sequitur silencium. Ita ut Iohannes evangelista describit. Ubi
Ihesus honorifice fuit receptus a turbis cum palmis et laudibus
abiit et abscondit se ab eis. Non utique trepidantis formidine sed
dispensantis officio. Quia nondum venerat hora eius quam postmodum advenit
spontaneus ad passionem accessit. Surgite inquit eamus. Ecce appropinquat
qui me tradet. Oblatus est nam quia ipse voluit. Unde cum cohortes et ministri
venissent cum laternis et facibus et armis ut comprehenderent illum
sciens Ihesus omnia que ventura erant super eum processit et dixit eis. Quem
queritis. Responderunt ei Ihesum Nazarenum. Dixit eis Ihesus. Ego sum. Iudei ergo xpi la
tibulum. Hoc secrete silencium representat. In quo cessante verborum
tumultu sola dirigatur ad deum attenta devocio. Cum nam intret sacer
dos in cubiculum cordis et hostio sensuum clauso deum patrem oraret.
Non multiloquio sicut ethnici faciunt qui putant in multiloquio exaudiri. Sed in corde
puro et consciencia bona et fide non ficta. Deus enim non est auditor
vocis sed cordis. Nec est admonendus clamoribus qui rerum scrutator
est et cordis. Quod Anna typum gerens ecclesie legitur observasse
que non peticione clamosa sed tanta devocione quod petiit impetravit. Scrip
tum est nam In libro Regum. Et Anna loquebatur in corde suo tantumque labia
illius movebantur et vox penitus non audiebatur. Item in psalmo. Dici
te in cordibus vestris et in cubilibus vestris compungimini. Spiritus est deus et
eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare. Ne vero mu
sce morientes perdant suavitatem unguenti flabello spiritus abigantur.
Quibus auster adveniens perflet ortum ut aromata fluant. Hoc est ne
importune cogitaciones tollant devocionem oracionis inspiracione gracie
repellantur. Quibus spiritus sanctus accedens mentem fecundet et virtutibus
habundet. Ceterum ne sacrosancta verba vilescant dum omnes pene
per usum ipsa scientes in plateis et vicis alijsque locis incongruis
decantarent. Decrevit ecclesia ut hec observacio que secreta cen
setur a sacerdote secrete dicatur. Unde ferunt quod ante consue
tudinem quam postmodum inolevit quidam pastores eam decantarent
in agro divinitus sunt percussi. De secreta

In secreta recolit memoriam dominice passionis videlicet corp